

tum de illo qui vere possedit, et dolo desiit possidere, sed etiam de illo, cujus dolo factum est, ne possideret rem, et ne ut possessor conveniatur, ac condemnatur, l. *Is qui*, 69, ff. *de Rei vindic.* ibi: « Is, qui dolo fecit, quominus possideret, hoc quoque nomine punitur, » et l. *Ad ea*, 157, ff. *de Reg. jur.*, cujus textum n. 5, allegavimus, juncta l. *Sed etsi* 25, § 8, *de Hæredit. petit.* ibi: « Nam et is, qui dolo fecit, quominus possideret, ut possessor condemnatur: accipies, sive dolo desierit possidere, sive dolo possessionem noluerit admittere. » Subaudi, si in eo est causa, ut ex contractu, vel quasi contractu teneatur possidere.

5. *Item de illis, qui non quidem dolo, lata tamen culpa possessionem deseruerunt, vel acquirere omiserunt. Lata culpa, et dolus æquiparantur in civilibus.* — Procedit etiam regula in casu, quo quis non quidem ex vero dolo, attamen ex culpa lata rem possidere desiit, aut possessionem illius non acquisivit; nam et talis rei vindicatione, actione utili conveniri potest ad æstimationem rei culpabiliter amissæ, vel non possessæ. Strein hic. n. 2. Bart. in l. un. *C. de Alienat. jud. mut. caus.* et alii, l. *Si culpa*, 63, ff. *de Rei vind.* ibi: « Si culpa, non fraude quis possessionem amiserit pati debet æstimationem. » Ratio est, quia (excepta causa criminali, l. *In lege*, 7, ff. *Ad Leg. Cornel. de Sicar.*) culpa lata, utpote dolo proxima, ordinariæ æquiparatur dolo, arg. l. *Mulier*, 22, § 3, ff. *ad S. C. Trebell.*

6. *Dolo, vel lata culpa possessionem deserens, vel illam non acquirere habetur possessor in sui damnum, non in sui commodum.* — Porro, quod hactenus dictum est, eum, qui dolo, aut lata culpa possidere desiit, aut acquirere omisit, fictione juris haberi pro possessore, intelligi debet « in sui damnum, » quatenus videlicet ut possessor possit rei vindicatione, directa vel utili actione conveniri ad restitutionem, vel æstimationem rei; non vero « in sui commodum, » ut tanquam possessor habitus aliquod commodum inde sentiat. Dyn. hic, n. 3; Vivian. hic; Strein hic, n. 3, arg. l. *Qui dolo*, ff. *de Reg. jur.* ne alias ex iniquitate commodum reportet contra c. *Ex parte, de Rescriptis.*

7. *Dolus non præsumitur, sed probari debet. Probatur ex conjecturis.* — Cæterum notandum, quod dolus non præsumatur, sed probari debeat. Dyn. loc. cit. n. 4, l. *Quoties*, 48, § *Qui dolo*, ff. *de Probat.* Probatur autem

dolus ex conjecturis c. 2, *de Remunt.* in 6, ut si, postquam jam oblati sunt libelli, vel quod illam offerre vellet, insinuatum est possessori, et multo magis si hic jam fuit citatus, aut jam esset contestaturus litem, et tamen desineret possidere, præsumitur dolo desinere. Dyn. hic, n. 4, arg. l. *Quædam*, 9, § *Nihil*, ff. *de Edendo*, cum concordant.

8. *Ponitur verus sensus regulæ. Fraus et dolus nulli patrocinari debent.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Qui rem aliquam bona vel mala fide possidet, eamque ab alio vindicandam advertens, illam dolo malo, aut lata culpa possidere desinit, eandem consumendo v. g. vel destruendo, aut in alium distrahendo, pro possessore adhuc in sui damnum habetur, et ut talis pro restitutione, vel æstimatione rei conveniri potest. » Per jura hactenus allegata, et ratio est; quia alias ex fraude et dolo quis commodum, et innocens incommodum ac præjudicium frequenter reportaret contra c. *Sedes*, 15, et c. *Ex tenore*, 16, *de Rescript.* ibi: « Fraus et dolus alicui patrocinari non debent, » juncta l. *Ne ex dolo*, 12, ff. *de Dolo malo.*

9. *Fictione juris censentur aliqua esse, quæ non sunt.* — Exigua est contra regulam objectio, quod possessio sit facti, l. 4, pr. et § 1, ff. *de Acquir. possess.* ergo « non possessio, » quæ per desertionem evenit, eidem comparari, et « possessor ac non possessor » æquiparari, pro eodemque haberi nequeunt. Resp. enim: Non possunt æquiparari naturaliter, conceditur, fictione juris in ordine ad obtinendos eosdem effectus, negatur. Hinc in jure plura similia habentur exempla: sic enim l. 2, *C. de Impub. substit.* Pater et filius quoad effectus pro una, eademque persona sumuntur. Et c. *Ad audientiam*, 15, *de Cleric. non resid.* Clericus in servitiis episcopi absens habetur pro præsentem, ac monachus vivus pro mortuo reputatur. can. *Placuit*, 8, cau. 16, q. 1, ibi: « Quia mundo mortuus est, Deo autem vivit, » cum concordat.

10. *Contra illum, qui actu adhuc male possidet, datur actio directa: et contra illum, qui fictione juris pro tali habetur, actio utilis. In quo differant hæ actiones.* — Non majoris difficultatis est illa objectio qua dicitur: Contra possessorem rei actualement datur actio directa, contra eum vero, qui dolo desiit possidere, actio tantum utilis: ergo æquiparari nequeunt. Resp. Quod etsi actio directa et utilis origine differant, in effectu tamen ad pro-

positum obtineant idem, sola illa cum differentia, quod actione directa semper res ipsa apud possessorem adhuc existens vindicetur: actione vero utili obtineatur, ut res in alterum distracta per dolose distrahentem iterum recuperetur, et restituatur in natura, aut si fieri amplius nequit, re forsam jam destructa, æstimatio illius præstetur l. *Qui restituere*, 68, § *Si vero*, ff. *de Rei vind.*

## REGULA XXXVII.

## UTILE PER INUTILE NON DEBET VITIARI.

1. *Regula unde desumpta?* — Regula isthæ desumitur ex l. 1, § 5, ff. *de Verb. obl.* ibi: « Duæ sunt quodammodo stipulationes, una utilis, alia inutilis, neque vitiatur utilis per hanc inutilem, » cum concordant. a Glossa citatis hic.

2. *Utile et inutile quid?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp., quamvis nonnulli cum Baldo lib. II, *Feud.* tit. XXXIV, § *Similiter*, putent per *utile* hic intelligi omne et solum illud, quod spectata natura rei, de qua agitur, et dispositione legis validum, aptumque est ad valide agendum; per *inutile* e contra illud, quod ad valide agendum invalidum, et ineptum est; tamen, quia multa sunt, quæ ad valorem actus non requiruntur, et tamen *utilia* censentur: et multa, quæ valorem non destruunt, et nihilominus *inutilia* reputantur, uti patebit ex infra allegandis exemplis: ideo, loquendo in latiori sensu per *utile* hic omne illud intelligi volunt alii, quod vel ad valorem rei, de qua agitur, requiritur, aut ad eundem servit, vel alias pro eadem re, etiam abstrahendo a valore, pro meliori, firmiori, aut securiori illius esse, conducentis et aptum est: per *inutile* vero illud intelligi, quidquid contra legem, vel alias ad naturam rei, de qua agitur, et valorem illius ineptum est. Taccin. hic; Strein hic, n. 1. Hinc

3. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Quidquid esse, sive de jure validum, vel alias ad efficiendam, firmandam, aut assecurandam rem aptum et conducentis est, valorem et vim suam non amittit adjunctione, vel accessione alicujus de jure prohibiti aut invalidi, vel alias inepti. » Ratio est, tum quia communis agentium et contrahentium mens ac intentio est, ut ea actuum suorum fiat inter-

pretatio, quatenus potius valeant, quam pereant, vel nullius valoris existant: consequenter si quid inutile actibus eorum admisceatur, ab eis amoveatur, vel pro non adjecto habeatur, ut in reliquis actus suum valorem retineant, c. *Abbate*, 25, *de Verb. signif.* et l. *Quoties*, 42, ff. *de Reb. dub.* ibi: « Quoties in actionibus, aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat, » juncto l. *Sancimus*, 34, *C. de Donat.*; tum quia nisi hoc observaretur, et per quodvis inutile semper vitiaretur utile, plurimi actus alias subsistentes, invalidi existerent non sine confusione et præjudicio humani commercii. Vivian. hic; Strein, n. 1.

4. *Valde late procedit.* — Regula hæc latissima est, et frequentissime in praxi observanda venit, hoc ipso, quod fere in omnium ecclesiastica et spirituali, quam profana materia, cunctisque actibus locum habeat, si, ut persæpe fit, eis quid inutile ac superfluum, ac rem non pertinens vel ineptum admisceatur, adeo, ut teste Dyno hic, n. 1, hujus regulæ inveniantur innumerabilia juris exempla, ex quibus patet, per adjectionem alicujus inutilis actum, cæteroque validum, non invalidari, consequenter utile per inutile non vitiari. Plurima hujusmodi exempla adducit Glossa hic, Dynus et alii; ex quibus nos quoque pro majori declaratione et intelligentia regulæ aliqua hic subjungimus.

5. *Declaratur exemplis. Donatio ultra quingentos solidos valet saltem quoad quingentos.* — Sic enim primo: Donatio profana inter vivos quingentos, solidos excedens, et sine insinuatione apud judicem facta, non vitiatur, seu invalidatur quoad summam a jure permissam, sed quoad excessum duntaxat, textu claro l. *Sancimus*, 34, *C. de Donat.* ibi: « Si quid autem supra legitimam definitionem fuerit donatum, hoc, quod superfluum est, tantummodo non valere: reliquam vero quantitatem, quæ intra legis terminos constituta est, in suo robore perdurare, quasi nullo penitus alio adjecto, sed hoc pro non scripto, vel non intellecto esse credatur. » Et infra: « Exceptis donationibus tam imperialibus, quam his, quæ in piissimas causas procedunt. » De hujusmodi donatione amplius vide lib. III. tit. 24, § 1, *de Donat.*

6. *Plura promittenti, quam fuit petitum valet ad minus.* — Secundo in stipulationibus



et contractibus, in quibus plus spondetur, quam petitur; nam ut dicitur l. 1, § *Si stipulanti*, ff. de *Verb. obl.* ibi: « Si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, non esse contractam obligationem nisi in decem, constat, » et infra. § *Sed si*: « Si mihi Pamphilum stipulanti, tu Pamphilum et Stychum sponderis, stychi adjectionem pro supervacua habendum puto; nam si tot sunt stipulationes, quot corpora, duæ quodammodo sunt stipulationes, una utilis, alia inutilis: neque vitatur utilis per inutilem. »

7. *Superflua verba non vitiant scripturam.* — Tertio, quando verba superflua, inutilia, vel inepta scripturis, contractibus, vel aliis actibus admiscuntur, actum non vitari aut annullari certum est, l. *Testamentum*, 17. C. de *Testam.* ibi: « Cum superflua non noceant, » et l. *Verba superflua*, 37. C. de *Donat.* ubi, postquam prohibitum fuit, adhibere verba superflua, deciditur, quod si tamen quisquam « per verbositatem » superflua verba adhibuerit, actum non vitari, iuncta l. *Non solent*, 94, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Non solent, quæ abundant, vitare scripturas. »

8. *Electio valida non vitatur per invalidam confirmationem.* — Quarto, in electionibus; electio enim canonice et valide facta non invalidatur per supervenientem illius confirmationem invalidam, c. *Si confirmationem*, 39, de *Elect.* in 6. Sic etiam, etsi inter eligentes unus excommunicatus irritum dederit votum, non irritantur vota aliorum, nec vitatur, vel invalidatur electio per majora valida vocata celebrata, c. *Cum ex eo*, 14, § *Ad hæc de Pœnit. et remiss.*

9. *Quid de alienatione bonorum ecclesiasticorum?* — Quinto exemplificant aliqui in locatione bonorum immobilium ecclesiasticorum ultra triennium; hæc enim juxta illos valida manebit quoad primum triennium, etsi invalida existat quoad tempus ulterius. Verum juxta dicenda infra n. 19, contrarium sentimus.

10. *In testamento utile per inutile non vitatur.* — Sexto de testamentis Dynus hic ponit exemplum: si damno hæredem meum, et regem Franciæ decem dare, tenetur hæres, licet regem Franciæ damnare non potuerim l. *Si duobus*, 16, ff. de *Legat.* I. Sic etiam si testamentum est nullum ex causa exhæredationis, vel præteritionis, in reliquis firmum manet. Authent. fin. C. de *Liber. præterit.* ibi: « Ex causa exhæredationis vel præteri-

tionis irritum est testamentum, quantum ad institutiones: cætera namque firma permanent. » His adde exemplum de Tutoribus: quando enim ad contractum pupilli unus verus, alter falsus tutor auctoritatem præbuit, contractus a pupillo initus valet, et ab inutili tutore non vitatur, l. 1, § 3, ff. *Quod falso tutore.*

11. *Ponuntur fallentiæ. Fallit universaliter in iis, quæ separari non possunt.* — Quæritur II. An et quas fallentias patiat hæc regula? Resp. Plures, et quidem primo ac universaliter fallit, quando utile ab inutili separari non potest. Gloss. hic; Dynus, Barbos., Vivianus et doctores communiter, bene advertentes, quod etsi regula in sensu negativo ponatur, consequenter semper observanda sit, nisi specialis ratio, vel casus specialiter in jure exceptus adsit, tamen individuus ac inseparabilibus non procedat, qualia etiam sunt, quæ a natura partibus non constant, vel ad substantiam et formam actus duo aut plura, consequenter inseparabilia quoad formam, vel absentiam unius ab altero requirunt: vel ab invicem necessario dependent: vel ex ipsa juris dispositione, aut agentium vel contrahentium voluntate separatim valorem non habent: vel alias separari non possunt. Patebit res adducendo plura exempla in specie: Vivianus post Glossam ponit sequens.

12. *Probatur exemplis.* — Si habeo servitutem ducendi ad aquam certum numerum pecorum, et majorem eorum numerum ducam, utilis concessus numerus per inutilem excessum non vitatur, quia hic ab illo per dominum separari potest, l. 1, § 18, ff. de *Aqua quotid. et æstiv.* ibi: « Si quis jus habens pecoris ad aquam appellendi plura pecora appulserit, non in omnibus pecoribus eum prohibendum, quod est verum, quia pecora separari possunt. » Si vero habeo servitutem ducendi aquam per fundum tuum, et ego aliam aquam illi immisceo, toto potero prohiberi, quia aqua mixta inseparabilis est, textu expresso cit. l. 1, § 17.

13. *Testimonium et instrumentum in uno falsum, censetur ex eo falsum. Fides est inseparabilis.* — Ex priori generali fallentia sequitur, et fallit regula secundo in testimonio, quod testis feret; si enim una pars illius falsa reperitur, totum hujusmodi testis testimonium corrumpit. Barbos. hic. n. 2, cum communi aliorum, can. *Pura*, 17, cau. 3, q. 9, ibi: « Totam testimonii fidem partis menda-

cio decolorat. » Pariter totum instrumentum a notario publico confectum fidem, et probandi vim amittit, si in una parte falsum deprehenditur, arg. l. 2. C. de *Veteri jure enuel.* et ibi Gloss. §. Libri, communiter recepta, juncto can. *Si ad scripturas*, 7, dist. 9. Ratio utriusque est; quia etsi partes tam testimonii, quam instrumenti separabiles existant, tamen fides notarii et testis indivisibilis est, indeque si falsitas in una parte apparet, totius testimonii vel instrumenti labefacta fidem, illudque suspectum reddit. Concordat doctrina sancti Augustini, qui ob indivisibilitatem fidei dicere non dubitavit, quod si sacræ Scripturæ aliqua etiam officiosa duntaxat mendacia essent inserta, totius Scripturæ corrueret auctoritas, et refertur cit. can. *Si ad scripturas*, dist. 9. Pariformiter ob indivisibilitatem sanctus Thomas, 2, 2, q. 4, art. 3, docet, quod uni articulo fidei non credens, in nullo retineat fidem catholicam. Cæterum de fidei attestatum et instrumentorum amplius vide lib. II, tit. XX, de *Testibus. et attestat.* tit. XXII, de *Fide instrum.*

14. *Error grammaticalis, vel in stylo curiæ vitiat totum rescriptum.* — Fallit tertio in rescriptis, seu litteris apostolicis, si in eis reperitur solæcismus, seu vitium constructionis, vel phrasæ a stylo curiæ aliena: quia unicus talis defectus notabilis fidem et vim probandi toti rescripto aufert. c. *Ad audientiam*, 11, de *Rescript.* ibi: « Quibus litteris, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere. » quia merito præsumitur, illud a Sede apostolica non fuisse emanatum, cum per plures manus transeat, et omni errore carens stylo conforme semper expediatur. De quo plura habes lib. I, tit. III, de *Rescript.*, § 9, a n. 212.

15. *Fallit regula etiam in sententiis.* — Fallit quarto in sententiis, v. g. aliqua judicis, qui debitorem certæ summæ centum florenorum, ad majorem summam, v. g. centum quinquaginta florenorum condemnat; talis enim sententia nec quoad minorem vere debitam summam valet. Barb. hic. n. 1. Taccin. n. eo, Pech. n. 12, quia sententia indivisibilis est, et « non potest ex uno judicio res judicata in partem valere, et in partem non valere, » ut dicitur l. *In hoc judicio*, 27, ff. *Famil. herciscund.*

16. *Et actibus legitimis.* — Fallit quinto in actibus legitimis, si eis conditio apponitur

contra Reg. 50, jur. in 6, hic habentem: « Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem, » uti magis patet per exempla, quæ pro declaranda hac regula quinquagesima adducentur infra.

17. *Electio ecclesiastica non admittit laicum.* — Fallit sexto in electione prælati ecclesiastici a clericis et laicis simul celebrata; etiam si major pars clericorum unum certum pro prælato eligat, quia de substantia electionis ecclesiasticæ est, ut ad eam nullus laicus concurrat. c. *Massana*, 56, de *Elect.*

18. *Ex duobus delegatis, uno recusato, alter procedere non potest.* — Fallit septimo in casu duorum delegatorum, quando unus ob justam suspicionis causam recusatus est; quia recusato uno, collega, qui unam cum ipso jurisdictionem habuit, amplius procedere non potest. c. *Cum super*, 23, de *Offic. delegati*, et c. *Judex*, 5, eod. in 6.

19. *Locatio rerum ecclesiasticarum ultra triennium ex integro est invalida.* — Fallit octavo in locatione rerum ecclesiasticarum ultra triennium, si locatio uno contractu irrevocabili ad longius tempus fiat: vel si repetitur quidem, ita tamen, ut vi contractus in potestate locatoris non sit, locationem ulteriorem denegare, prout amplius declaratum et probatum habes lib. III, tit. XVIII, § 1, de *Locato et conducto*, a n. 23.

20. *Regula est: utile per inutile vitatur in separabilibus.* — Ex quibus hactenus dictis cum Barbos. hic. et Glossa hic communiter recepta merito subjungitur: quod sicut in separabilibus et divisibilibus regula negativa sit, et semper procedat: « Utile per inutile non debet vitari; » sic alia regula affirmativa in contrarium poni valeat: « In iis, quæ inseparabilia, ac indivisibilia sunt, utile per inutile vitatur. »

## REGULA XXXVIII.

EX EO NON DEBET QUIS FRUCTUM CONSEQUI, QUOD NISUS EXTITIT IMPUGNARE.

1. *Regula inde desumpta.* — Desumitur regula ex l. *Papinianus*, 8, § 14, ff. de *Inofficioso testamento*, et c. *Cum olim*, 19, de *Censib.*

2. *Intelligenda est de impugnatione in judicio.* — Quæritur I. Qualiter hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam intelligendam esse de Impugnatione in judicio iniquo, sicut si quis aliquando quid approbavit, amplius reprobare



non potest l. Pomponius 9, ff. de Negot. gest. juncta reg. XXI, de Reg. jur. in 6. « Quod semel placuit, displicere amplius non potest. » Sic e contrario, quod semel quis reprobavit, aut impugnavit, pro suo commodo et fructu approbare, adducere, et uti amplius nequit, l. Dispensatorem, 62, ff. de Solut., quod juxta Taccin., hic, n. 4, et alios Doctores ideo statutum censetur, ut inconstantia in judicio evitentur, et inconstantes saltem in tantum puniantur, quatenus fructum aliquem ex ea re, quam impugnant, non percipiant, quem alias percipissent, si illam rem non impugnant.

3. *Ponitur verus sensus regulæ. Quod quis juris in alterum statuit, eo et ipse uti debet.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Qui legem, rescriptum, instrumentum, attestationem, contractum, testamentum, vel aliam quamcunque demum dispositionem in judicio semel impugnavit, eam pro se et sua utilitate allegare, eave uti, et fructum aut commodum ex illa percipere non amplius potest. » Rationem assignat Vivianus hic; qua qui in judicio aliquid impugnat, hoc ipso illud pro injusto aut invalido, et pro tali habet, quod adversarius pro se, suaque intentione producere vel allegare, eave uti, et ex illa fructum vel commodum juste percipere non possit: quod dum impugnans facit, se ipsum in tantum jugulat, ut ex eadem re, quam impugnando pro injusta et invalida habet, ipse fructum aut commodum aliquod percipere non amplius valeat juxta æquissimum illud: « Quod quisque juris in alterum statuit, ipse uti debeat eo et sapientis dicat auctoritas, patere legem quam tu ipse tuleris. » c. Cum omnes 6, de Constit., juncta l. 1, ff. « quod quisque juris in alterum statuerit, » etc., ubi etiam æquitas hujus dispositionis adducitur illis verbis. « Hoc edictum summam habet æquitatem; et sine cujusquam indignatione justa. Quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit. »

4. *Impugnans rem in judicio censetur renuntiare juri ex illo alias competentis.* — Et procedit regula etiamsi aliquis ex illo, quod in judicio impugnavit, fructum et commodum alias de jure percipere omnino potuisset; quia, uti cum aliis bene advertit Vivianus, juri, quod prius in re habuit, impugnando eandem, tacite renuntiasset censetur, textu satis claro c. Olim., 19, de Censibus, ibi: « Licet enim ex forma secundæ compositionis deductiones aliquæ essent faciendæ; quia ta-

men compositionem idem Abbas nullatenus approbavit, sed statuit multipliciter impugnare, ex eo non debet beneficium consequi, cui renuntiasset tacite videbatur. » Ad id autem, cui quis semel renuntiavit, reditus de jure non amplius conceditur, l. Si quis, 11, C. de Reb. credit., ibi: « Satis enim absurdum est redire, ad hoc, cui renuntiandum putavit. »

5. *Qui dicit decretales epistolas non esse authenticas, non potest illas pro se allegare.* — Declaratur et firmatur regula et sensus illius variis exemplis, et quidem imprimis de legibus; nam ut bene exemplificat Glossa hic: qui decretales epistolas, vel alias constitutiones, aut sanctiones apostolicas non esse authenticas asserit, nequit eas postmodum in sui favorem allegare, arg. can. Si Romanorum, dist. 19, ubi ii, qui decretalium auctoritatem temere negare audent, a Nicolao Papa reprehenduntur illis verbis: « Cum ipsi, ubi hæc suæ intentionis suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum tunc ad imminutionem Sedis apostolicæ potestatis, et ad suorum augmentum privilegiorum, minus accepta esse perhibeant. » Concordat can. 1, dist. 8, et c. Quia frustra, 14, de Usur., ibi: « Frustra legis auxilium implorat, qui committit in legem; » sive non est dignus legis auxilio, qui facit contra legem.

6. *Testamentum tanquam falsum, aut inofficiosum impugnans nil percipit ex illo. Secus est, si illud ut minus solemne impugnat.* — Dein in testamentis: qui enim testamentum tanquam falsum aut inofficiosum impugnat, et succumbit, ex tali sic impugnato testamento non tantum nihil recipit, sed etiam quod jam accepit, eidem iterum aufertur, et fisco appropriatur, l. Popinianus 8, § 14, ff. de Inoffic. testam. ibi: « Meminisse autem oportebit eum, qui testamentum inofficiosum improbe dixit, et non obtinuit, id, quod in testamento accepit, perdere, et fisco vindicari quasi indigno oblatum; » eo quod sic impugnando testamentum, juri ex illo alias competentis tacite renuntiasset censeatur. cit. c. Olim. de Censibus. Secus foret, si quis testamentum non ut falsum vel inofficiosum, sed ut carens debitis solemnitatibus, sequere de jure non subsistens impugnaret; talis enim legata in illo pro se facta non amitteret, prout clare statutum habetur cit. l. Popinianus, § 14, et l. Post legatum 5, § 1, ff. de His, quæ ut indig., juncta l. Si testamentum 24,

ff. eod. Rationem disparitatis affert Dyn. hic, n. 3 et 4, quia qui testamentum ut falsum impugnat, non solum institutionem hæredis, sed etiam legata impugnat, consequenter hæc ex illo percipere non potest: Non sic qui illud impugnat ut minus solemne; cum corrumpente testamento ob defectum solemnitatis nonnunquam valeant adhuc legata saltem ad causas pias per dicta lib. III, lit. XXVI, de Testam., n. 164. Item, qui testamentum tanquam inofficiosum impugnat, censetur dicere, quod testator quasi non sanæ mentis fuerit l. 2, ff. de Inoffic. testam. ibi: « Hoc colore inofficioso testamento agitur; quasi non sanæ mentis fuerint, qui testamenta ordinarent. » Consequenter sicut ad instituendum hæredem, sic etiam ad condenda legata inhabiles fuerint. Dynus, loc. cit.

7. *Impugnans instrumentum vel testem nequit illum pro se allegare.* — Procedit ulterius in instrumentis, ut qui aliquid impugnat, illud in favorem allegare non amplius possit cir. c. Cum olim. de Censib. Idem est de impugnante testem: item de impugnante contractum tanquam invalidum.

8. *Fallit regula primo quando quis ante sententiam definitivam impugnare desistit. Pœnitentes digni sunt venia.* — Quæritur II. An et in quibus regula XXXVIII, fallat? Eam fallere in sequentibus, et quidem primo, quando quis impugnationem rei usque ad sententiam definitivam non continuat, sed ante hanc ab illa voluntate desistit. Glossa hic communiter recepta textu expresso l. Papinianus, § 14 ibi: « Ei demum aufertur, quod testamento datum est, qui usque ad sententiam judicum lite improba perseveraverit. Cæterum si ante sententiam destitit, non ei aufertur, quod datum est, » juncta l. Alia 8, C. de His quibus ut indig. cum pœnitenti, et errorem agnoscenti venia non sit neganda, can. Quanto 8 cau. 2, q. 4, ibi: « Quia sicut in pertinacia persistentibus se veros non esse convenit, sic iterum humilitatis et pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. »

9. *Fallit secundo, quando quis alieno nomine ex officio impugnat.* — Fallit secundo, si quis non suo, sed alieno nomine et ex officio, sicque non plene libere, sed quasi necessario impugnat, uti tutor et curator nomine pupilli vel minoris; talis enim etiam ex illo, quod impugnat, fructum pro se consequi, consequenter ex testamento v. g. sic impugnato, legata in illo sibi facta percipere valet.

Gloss. cit. cum communi aliorum, textu claro l. Adversus 38, ff. de Inoffic. testam. ibi: « Tutoribus, pupilli nomine, sine periculo ejus, quod testamento datum est, agere posse de inofficioso testamento, divi Severus et Antoninus rescripserunt. » Concordat, l. Cum quedam 26, C. de Administ. tut. « Cum non deceat alicui officium suum esse damnosum. » C. Cum non deceat, 30, pr. de Elect. in 6, et « ne dispendium patiat, qui videtur præmium meruisse, c. Pervenit 2, de Fidejuss. »

10. *Fallit tertio quando non est eadem materia.* — Fallit tertio, ubi non est eadem materia, vel capitulum (ut Glossa ait hic) quod quis impugnat cum illo, ex quo etiam post impugnationem fructum consequi nititur. Nam licet quis sententiam ex uno capite impugnet, adhuc ex alio capite fructum percipere valet, arg. c. « Utile non debet per inutile vitiari, » 37, de Reg. jur. in 6, juncto c. Raynutius, 16, et c. Raynaldus 18, de Testam. ubi sententia judicis inferioris, a qua partes ambæ, quatenus contra se fuerat, appellaverant ad Papam, ex una parte confirmatur a Papa, sicque profuit impugnanti.

11. *Et quarto respectu tertii.* — Fallit denique quarto, respectu tertii, ita ut licet quis ex eo, quod contra certum aliquem impugnavit, contra eundem fructum percipere, vel eadem re impugnata fructuose uti non valeat; tamen eadem re impugnata, et jure exinde sibi competente contra tertium frui omnino possit. Pech. hic, n. 5, eo quod regulariter aliis non noceat res inter alios judicata, c. Quamvis 25, de Sentent. et re judic. cum concordant.

## REGULA XXXIX.

CUM QUID PROHIBETUR, PROHIBENTUR OMNIA,  
QUÆ SEQUUNTUR EX ILLO.

1. *Ponuntur concordantiæ cum regula.* — Cum hac regula concordare videntur reg. XLII, de Reg. jur. in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis; » sicut illud commune; connexorum eadem est ratio: sive, quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extendi debet, c. Translato, 3, de Constitut. juncta Glossa ibidem.

2. *Subsequentia ex prohibito, non item media ad illud, censentur prohibita.* — Addit Vivianus hic, cum regula concordare etiam illud, quod pro quasi regula habetur l. Ora-